

4. *Etiam in portione superiori voluntatis Christi tristitia actus locum habuit.* — Dico quarto, etiam in portione superiori voluntatis humanæ Christi tristitiæ actum locum habuisse. Tenet Scot., dist. 15; Bonav., d. 16, art. 2, q. 2 et 3; Gabr., dist. 15, art. 2, in 1 p. illius. Et probatur, quia Christus ut homo tristitiam habuit propter peccata hominum; quin potius Sancti, explicantes causas sudoris sanguinei Christi, sentiunt magis fuisse ortum ex consideratione peccatorum hominum, et ex tristitia inde concepta, quam ex consideratione propriæ mortis. Sed hæc tristitia pertinet ad rationem superiorem, quia potissimum fundabatur in divina offensione, quam considerare et ponderare, proprium munus est superioris rationis. Similiter tristitiam habuit Christus de perditione Judæ, et ruina Judæorum, adeo ut Hieronymus et Hilarius dixerint magis doluisse Christum de morte sua propter ruinam Judæorum, quam propter suum incommodum; sed hoc etiam pertinet ad portionem superiorem, erat enim opus insignis charitatis. Et ex his exemplis facile constat ratio hujus conclusionis, quia hic etiam affectus est optimus et honestissimus, et valde consentaneus statui Christi in carne passibili, et ad satisfaciendum pro hominibus valde accommodatus.

5. *Objectio prima.* — *Responsio.* — Contra hanc vero ultimam conclusionem sentiunt nonnulli Theologi, inter quos est Henricus, supra dicto Quodl. 8, q. 7, et Cajet. infra, q. 46, art. 7, ubi propterea inquit, dictam tristitiam a nobis explicatam pertinere ad rationem inferiorem, quia erat de objectis temporalibus, et inferioris rationis; et ita exponit D. Thomam ibi, quanquam ipse fateatur dissensionem potius esse de modo loquendi, quam de re. Nihilominus tamen puto proprius ac verius dici, illos actus ad rationem superiorem pertinere, quia, ut supra dicebam, uniuscujusque potentie ratio ex formali potius motivo, quam ex materia, sumenda est. Deinde, quia commissio mortalis peccati ad rationem superiorem pertinet quatenus tale peccatum est aversio a Deo: ergo multo magis dolor de peccato, quatenus est offensa Dei, ad superiorem portionem pertinet; ergo et prædicta Christi tristitia. Tandem velle mortem propter redemptionem hominum et obedientiam Patris, erat sine dubio actus rationis superioris, quia, licet materia esset humana, tamen motivum et ratio erat altissima, et suprema; ergo idem erit de tristitia. Nec S.

Thomas unquam oppositum docuit, sed in eo loco solum docet portionem superiorem voluntatis Christi non esse passam tristitiam ab objecto suo, quod est Deus, quia illo potius perfecte fruebatur; et hoc modo dici quodammodo posset, quamvis aliqua tristitia fuerit in superiori portione Christi, quia regulabatur per regulas supremas et æternas, non tamen fuisse quasi in suprema parte illius portionis, qua attingitur Deus ipse in se. Præsertim quia illa eadem tristitia, quæ erat in ratione superiori, admitebatur et eligebatur sub aliis rationibus, etiam supremis et æternis; et objectum ipsum contristans, quod sub aliqua superiori ratione displicebat, sub alia magis superiori, vel amabatur, si tantum erat malum pænæ, vel permittebatur, si culpæ, quia voluntas Christi in ratione volendi semper erat conformis divinæ, ut dicemus. Et ita constat in re non esse diversitatem, et facile posse opiniones conciliari.

6. *Objectio secunda.* — *Responsio.* — *Confutatur.* — Una vero superest hoc loco difficultas, vulgaris quidem, sed gravis, quomodo, scilicet, in eadem voluntate, et in eadem superiori parte illius potuerit simul tanta esse tristitia, cum perfectissima fruitione beata qua Christi anima semper potita est. Propter hanc difficultatem Cano, lib. 12 de Locis, c. 14, dicit animam Christi sustinuisse interdum gaudium beatificum, ut tristitiæ locum daret. Quod sine ulla probatione affirmat, ut evitet vim argumenti. At eam sententiam Henricus supra dicit esse fidei contrariam; ego falsam et temerariam illam existimo, et contra omnes Theologos, qui in hac difficultate contrariam sententiam ut certam ponunt. Et primo contra illam objici potest locus ille Cantico. 3: *Egredimini et videte, filia Sion, regem Salomonem, in diademate, quo coronavit eum mater sua in die desponsationis illius, et in die lætitiæ cordis ejus, juxta probabilem Sanctorum Patrum expositionem, qui per diadema Salomonis intelligunt spineam Christi coronam, qua coronatus est in die passionis suæ, quem dicunt esse diem lætitiæ cordis ejus, quia in eo maxime lætatus est spiritu, quamvis corpore maxime doleret, prout exponunt Gregor. Nyss., Maximus, et Nilus, quos Theodoret. refert; et Hortolanus, lib. 3 Commentar. in Cantic., et eandem expositionem attigit D. Thomas, Cantic. 3, dicens illum diem fuisse lætitiæ cordis Christi, quia in eo maxime gaudebat ob hominum, quam operabatur, redemptionem de diaboli potestate;*

et Rufinus, in Exposit. Symboli, de spinea corona eundem locum intellexit. Quod autem dies passionis Christi dicitur dies lætitiæ cordis ejus, satis confirmat non fuisse ipsius animam privatam eo die perfectissimo gaudio; ergo maxime carere non debuit gaudio beatifico. Quod etiam recte confirmatur verbis illis Psal. 15: *Propter hoc lætatum est cor meum, et exultavit lingua mea;* nam, quod in eis sit sermo de Christo et passione ejus, constat ex sequentibus verbis: *Insperet et caro mea requiescet in spe.* Item ex illis Lucae 15: *Et cum invenit eam, imponit in humeros suos gaudens;* ovis enim perditus est humanum genus, quod tunc maxime super humeros suos Christus gaudenter sustulit, quando peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, 1 Pet. 1. Denique ex illis Joan. 15: *Hæc locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis sit, et gaudium vestrum impleatur;* quæ verba interpretans Cyril., lib. 10 in Joan., c. 21, inquit, Christum loqui de suo spiritali gaudio, quo semper fuit plenus, etiam in cruciatibus et opprobriis, quæ delicias sibi esse putabat, ut voluntatem Patris implet, et salutem hominum operaretur. *Et hoc gaudium (ait) optasse Christum discipulis, quo ipse gavisus est, quia solum illud gaudium solidum est, quod in Deo est; et cap. 22 ait: Talem erga nos Salvator charitatem ostendit, ut suum cum gaudio cruci affigi non erubuerit, ut peccatoribus salutem afferret.* Non ergo caruit Christus gaudio, etiam in ipsa cruce; ergo multo magis habuit gaudium beatificum ex summa Dei charitate, quæ estradix hujusmodi gaudii.

7. Secundo argumentor ratione, quia supra, q. 9, ex Scriptura et Patribus ostendimus, et certum esse diximus, animam Christi a principio fuisse beatam; beatitudo autem et fruitionem includit, et perpetuitatem sine intermissione. Quod vero Canus inquit, potuisse manere fruitionem sine gaudio, contradictionem involvit; quia fruitio nihil aliud est, quam gaudium ipsum, ut ex 1. 2, q. 11, suppono. Minus male diceretur potuisse conservari visionem et amorem, in quibus, vel altero eorum, essentialis beatitudo consistit, sine fruitione, quæ solum est beatitudinis proprietates et perfectio. Sed hoc miraculum, quamvis contradictionem non involvat, asserendum non est sine magno fundamento, præsertim cum ad perfectionem Christi nihil pertineat, sed potius ad cujusdam perfectionis defectum, nam sine fruitione beatitudo

non manet simpliciter perfecta. Adde, si hæc assertio Cani permittatur, facile posse inveniri alium, qui dicat privatam esse interdum animam Christi, etiam ipsa visione beata, ut magis pateretur. Denique vel Canus admittere debet Christi animam, toto aut majori vitæ mortalis tempore carnis gaudio beato; quod tamen neque ipse audeat dicere, sed solum de passionis tempore; vel certe difficultatem non expedit, quia Christi anima et voluntas fere nunquam caruit magna tristitia, vel certe frequentissime illam habuit, considerando peccata hominum, et mortem suam veluti præsentem intuendo, cum tamen gaudium illud de se omnem expelleret tristitiam.

8. *Responsio.* — *Confutatur.* — *Quæ major impossibilitas sit inter actus vitales contrarios, quam inter cætera contraria.* — *Responsio tertia.* — *Confutatur.* — Secundo ergo respondetur, quamvis tristitia et gaudium contraria sint, divina tamen virtute fieri potuisse ut in eadem voluntate simul conjungerentur. Ita respondet Palud., in 3, dist. 15, q. 2, qui in universum docet posse Deum in eodem subjecto ponere duas contrarias formas in quocumque gradu, sicut in eodem loco potest ponere duo corpora naturaliter repugnantia. Sed licet in aliis qualitatibus aut formis verisimile hoc sit, tamen in actibus vitæ, si proprie contrarii sint, specialem videtur involvere repugnantiam, vel quia speciali modo efficiunt subjectum per intrinsecam quamdam emanationem ab illo; vel certe quia ex parte objectorum includunt immediatam contradictionem; ut, verbi gratia, si intellectus simul assentitur, et dissentitur eidem propositioni, simul ponit in objecto esse et non esse; unde, sicut impossibile est ut eodem assensu judicet idem esse et non esse, ita est impossibile simul habere illos duos actus, et idem est de omnibus contrariis similibus. Quod etiam naturali quodam signo confirmari potest; nam alia contraria, saltem in gradu remisso, possunt interdum esse simul, etiam naturali modo; et in ipso intellectu, vel voluntate, habitus contrarii possunt simul esse in gradu remisso; at vero actus ipsi non possunt naturaliter simul esse in eodem, si vere contrarii sint, ut experientia satis constat in assensu et dissensu, et similibus. Quod vero quidam respondent, ex D. Thoma, q. 26 de Verit., art. 10, hæc contraria, si per se insint subjecto, inter se repugnare, non vero si unum per se, aliud per accidens insit, hoc, inquam, non satisfacit; gaudium enim per se

dicitur inesse voluntati Christi, ab iis qui ita respondent. Interrogo ergo cur tristitia dicitur inesse per accidens. Si forte, quia non inest ipsi voluntati in se ipsa, sed tantum in appetitu, hoc est falsum, et contrarium est satis demonstratum; si vero dicatur per accidens inesse, quia ex passione corporis oriebatur, non est verum de omni tristitia, ut vidimus, neque etiamsi ita esset, quidquam ad rem perlineret; quia repugnantia inter formas contrarias non provenit ex causis unde illæ oriuntur, sed consistit in ipsa formali inhæsiōne respectu ejusdem subjecti. Ut, licet aqua sit aliquo modo per se frigida, nihilominus repugnat ut simul sit calida, etiam ex accidenti; sic ergo nihil refert quod tristitia ex corpore, vel ex quacunque alia causa extrinseca oriatur, si formalem repugnantiam et oppositionem habet cum ipso gaudio.

9. *Responsio quarta.* — Aliter dici posset, actus animæ contrarios, qui ita versantur circa idem indivisibile objectum, ut unus destruat formale et proprium objectum alterius, non posse simul esse in eodem subjecto; ut mihi quidem videtur de assensu et dissensu ejusdem propositionis, vel amore et odio ejusdem secundum idem. At vero quando actus non ita sunt contrarii, ut unus prorsus destruat objectum alterius, quanquam naturaliter interdum repugnent esse simul, non tamen implicabit contradictionem divina virtute conjungi in eadem potentia; hoc autem modo videtur contigisse in gaudio et tristitia Christi; non enim versata sunt circa idem, neque secundum eandem rationem, ut per se satis constat.

10. *Gaudium et tristitia, nisi circa idem omnino versentur, proprie contraria non sunt.* — Aliter dici potest (et fortasse res est eadem, quamvis diversis verbis explicata) gaudium et tristitiam, secundum rationes suas genericas, et modum quo versantur circa objecta sua, habere magnam diversitatem, et quandam repugnantiam, non tamen propriam contrarietatem, nisi in particulari versentur circa idem omnino, cujus simile videre licet in assensu et dissensu; nam in communi habent illam diversitatem, non tamen contrariam oppositionem, nisi sint ejusdem de eodem; quo fit ut interdum ex assensu unius propositionis oriatur dissensus alterius, et simili modo ex gaudio de divino honore oriri potest tristitia de divina offensione. Sic ergo gaudium et tristitia Christi non erant actus vere contrarii, quia versabantur circa

diversa objecta; gaudebat enim de bonitate divina, et sua beatitudine, tristabatur autem de peccatis hominum et de morte sua. Quam solutionem attigit D. Thomas in Q. disputata de passionibus animæ, art. 10, ad 7.

11. *Objectio tertia.* — *Responsio.* — Solum video objici posse, quia Christus per visionem beatam videbat in Verbo mortem suam; ergo per fruitionem beatam de illa gaudebat; sed de illa eadem tristabatur; ergo habebat simul gaudium et tristitiam ejusdem objecti, atque adeo proprie contraria. Et confirmatur, quia alias nullum fuisset miraculum, tantam tristitiam conjunctam fuisse cum illo gaudio, neque beati fierent ex vi illius gaudii naturaliter incapaces omnis tristitiæ. Ad argumentum respondetur primo, negando primam consequentiam, quia non est necesse ut beatus, qui necessario fruitur Deo ipso, necessario etiam gaudeat de omnibus quæ in Deo videt, quia illa non representantur ut summum bonum, sicut ipse Deus; sicut etiam, licet necessario amet Deum, non tamen proximum, et cætera omnia quæ in Deo videt. Secundo respondetur, aliter Christum gavisum fuisse de morte sua, et aliter de ea tristitiam habuisse; tristitia enim erat de morte, ut est malum naturæ, de quo malo Christus, ut sic, non gaudebat, sed de fructu et utilitate quam mors sua nobis erat allatura, et de ipsa morte, ut erat medium ad hujusmodi finem; et ita actus illi non erant omnino contrarii, quia non erant de eodem secundum idem. Ad confirmationem negatur sequela, tum quia, licet gaudium et tristitia, in communi sumpta, non sint perfecte contraria, tamen propter diversum modum tendendi in objectum, si gaudium circa unum objectum sit perfectissimum et intensissimum, non admittit secum ullam tristitiam, etiam circa aliud objectum, ut partim etiam experientia notum est; tum etiam quia visio et fruitio beata, quæ natura sua constituunt animam in ultimo suæ perfectionis statu, ex natura sua excludunt omnem causam tristitiæ; fuit igitur illud miraculum, speciali dispensatione in Christo factum propter nostram redemptionem.

SECTIO IV.

Utrum voluntates Christi inter se fuerint inter se contrariæ, vel semper conformes.

1. Suppositis distinctionibus supra positis de actu efficaci et inefficaci voluntatis, et de diversis modis quibus una voluntas potest al-

teri esse conformis vel difformis, resolutio hujus quæstionis facilis est, ac fere sine controversia.

2. Dico enim primo, actum efficacem voluntatis Christi semper fuisse conformem divinæ voluntati omni modo, scilicet, in objecto formali et materiali. Hæc est communis sententia Theologorum, D. Thomæ hic; et supra, q. 13, art. 4; infra, q. 21, art. 4; aliorum, in 3, d. 15; Bonavent., art. 2, q. 2; Mai., q. 1, concl. 4; Durand., q. 2; Gabr., dist. 17, q. 1, concl. 3 et 4; Palud., Capreol. et aliorum; Cajet., locis citatis; Ferrar., 4 lib. Contra gent., c. 37, et in aliquo sensu est conclusio de fide, scilicet, quatenus Christus semper voluit efficaciter quidquid Deus voluit ipsum velle, et prout Deus voluit, ut aperte colligitur ex Joan. 4: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus qui misit me*, et cap. 5, 6 et 8: *Non quero voluntatem meam, sed ejus qui misit me*; et ad Hebr. 10, et Ps. 36: *In capite libri scriptum est de me, ut faciam voluntatem tuam, Deus meus, volui*; quanquam enim hæc præsertim intelligantur et exponi possint de voluntate signi, seu præceptiva, tamen generaliter etiam intelligenda sunt de quacunque absoluta voluntate Dei: tum quia verba Scripturæ generalia sunt; tum etiam quia ita intelliguntur a Conciliis et sanctis Patribus veritatem hanc definiētibz et docentibus; ut patet ex VI Synod., act. 4, in epist. Agat., ubi plura refert Sanctorum testimonia; et act. 11, in epist. Sophron., act. 17; in definitione fidei, Concil. Later., sub Mart., consul. 5, c. 16; et ex Cyril., lib. 2 in Joan., c. 146, et lib. 4, c. 1, ubi id optime declarat; et Damasc., lib. 2 de Fid., c. 32, circa fin., et lib. 3, c. 14, 17 et 18; Chrysost., homil. 47 in Joan.; Hieron., in id Matth. 26: *Fiat voluntas tua*; et August., super Joan., locis citatis, et q. 77 in Novum Testamentum. Denique, quia si Christi anima aliud efficaciter vellet quam Deus vellet ipsam velle, esset propria contrarietas et repugnantia inter illas voluntates, quæ est magna imperfectio; unde in Christo locum habere non potuit. Et confirmatur, quia beati semper hoc modo habent voluntatem conformem divinæ voluntati; ergo multo magis Christus, cui nota erat in omnibus divina voluntas, et ideo repugnare illi non poterat. Et ex his ulterius colligitur, semper humanam Christi voluntatem in hoc actu efficaci fuisse conformem divinæ ex parte objecti, atque adeo non potuisse actu efficaci nolle quod Deus volebat, neque velle

quod Deus volebat, quia hæc etiam esset contrarietas voluntatum, quæ est magna imperfectio, Christo repugnans. Quapropter omnis hæc conformitas cum divina voluntate naturalis fuit Christo ratione unionis. Secundo, quia Deus vult ut humana voluntas non opponatur hoc modo divinæ, præsertim quando homini constat de divina voluntate, ut Christo constabat. Tertio, quia, supposita hac scientia animæ Christi, qua sciebat omnem divinam voluntatem beneplaciti seu consequentem, impossibile erat aliud efficaciter velle; quia, facta illa suppositione, objectum representabatur ut impossibile, unde illa voluntas non solum esset otiosa et imprudens, sed (ut existimo) etiam fuit impossibilis, et ideo neque beati possunt habere talem actum, quando illis constat de divina voluntate.

3. *Objectio.* — *Responsio.* — *Qua ratione potuerit Christus habere actum efficacem, non conformem divinæ voluntati.* — Quæres, an hoc ita verum sit ut sit certum, et an contrarium implicet contradictionem. Scotus enim, dist. 15, q. unic., ante solutionem argumenti; et Gabr., conclus. 9, opinionem referunt asserentem potuisse Christum per voluntatem humanam efficaciter velle quod Deus absolute volebat; et licet non approbent, putant tamen esse probabilem et possibilem, quia poterat Christi anima considerare mortem ut incommodam naturæ, præcise, et abstrahendo ab omnibus aliis rationibus, et ut sic, efficaciter eam nolle, etiamsi Deus eam vellet. Respondetur tamen, de absoluta Dei potentia non repugnasse humanitatem assumptam carere scientia beata, vel infusa, quam modo habet, atque adeo non scire in singulis rebus et objectis quid de illis Deus efficaciter velit; et tunc recte poterat per voluntatem humanam actu efficaci ex parte sua intendere aliud quod bonum et honestum, ut, verbi gratia, orare, vel aliud simile, quamvis fortasse absolute esset definitum a Deo, ne id fieret. Cujus ratio est, quia hic modus operandi, supposita illa imperfectiōne ignorantie, seu carentiæ scientiæ, est bonus et honestus, neque involvit imperfectionem aliquam, quæ Christo repugnet etiam de absoluta Dei potentia. Confirmatur, nam Angeli beati aliquando intendunt aliquid, et quantum in se est conantur ut fiat aliquid quod Deus statuit ne fiat, quia non semper de singulis rebus cognoscunt quid Deus præfinierit, ut ex Danielis 10 constat, juxta expositionem magis rece-

ptam, quam recte ibi tractat Pereira, et lib. 12, ex D. Thoma, 1 p., q. 113, art. 7, et aliis; ergo ex prædicta hypothese non repugnat Christo de potentia absoluta similis operatio. Dices, Christo propter unionem deberi quod voluntas ejus humana ita gubernetur a divina, ut etiam si non agnoscat per humanitatem quid Deus in aliquo negotio voluerit, nihilominus in re semper velit efficaciter id quod Deus voluit; nam hæc conformitas non solum ex præscientia, sed etiam ex intrinseco regimine est magna perfectio. Respondeo, potuisse quidem ita fieri, esseque satis consentaneum unioni, et dignitati humanitatis assumptæ, non tamen esse ita necessarium quin de potentia absoluta fieri aliud potuerit, ut dictum est, quia nullam repugnantiam involvit, nec imperfectionem, aut indecentiam aliquam divinæ bonitati ac voluntati repugnantem. At vero, supposita scientia voluntatis divinæ, quam anima Christi habuit, impossibile fuit habere actum contrarium; quis enim potest actu efficaci conari contra absolutam Dei voluntatem sibi cognitam? aut quis cordatus et prudens id faceret, quamvis posset? Unde hic accommodari possunt verba illa Joan. 5: *Filius a se non potest facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem*, ut Cyril. exponit, libro secundo, cap. 133; et Chrysost., hom. 37. Neque contra hoc urget ratio Scoti, quia, licet anima Christi per aliquam inferiorem scientiam potuerit non semper actu considerare omnem rationem volendi vel nolendi mortem, neque omnem divinam voluntatem, tamen simpliciter semper hæc omnia consideravit per aliquam scientiam, et ideo nunquam potuit in eodem intellectu habere iudicium prudens, quo moveret voluntatem ad talem actum efficacem et absolutum; quia iudicium prudentiæ debet esse connexum cum perfecta scientia et consideratione intellectus, et ideo semper versatur circa id quod, pensatis omnibus, est possibile et expediens. Quocirca ex illa præcisa consideratione mortis per inferiorem scientiam, solum sequi poterat actus voluntatis inefficax, ut recte D. Thomas hic docet, et infra, q. 21, a. 4; et Cajet., his locis; Durand., d. 13, q. 2, de quo jam dicemus.

4. *Actus inefficax Christi quomodo conformis et non conformis divinæ voluntati esse potuerit.* — Dico secundo: per actum inefficacem interdum voluit humana Christi voluntas quod absolute et simpliciter Deus volebat, semper tamen hujusmodi actus erat confor-

mis divinæ voluntati, tanquam principio et regulæ, et ideo simpliciter illæ voluntates nunquam fuerunt contrariæ. Tota hæc conclusio est certa et communis Theologorum, in 3, dist. 17; ubi Richard. et Bonavent., art. 4, q. 3; Alens., 3 p., q. 13, memb. 1, a. 2; et colligitur ex omnibus Conciliis et Sanctis citatis in priori assertione; et eam declarat optime August., lib. 3 cont. Maximin., c. 20. Et prima quidem pars conclusionis de diversitate in objecto materiali satis constat ex illis verbis sæpe citatis: *Non sicut ego volo, sed sicut tu*, et ex dictis supra de his actibus inefficacibus. Secunda vero pars, de formali seu affectiva concordia, facile etiam patet, quia etiam isti actus inefficaces, erant in suo genere honesti et boni; unde divina voluntas volebat ut humana illos efficeret, et ipsa humana voluntas ex perfecta ratione et deliberatione illos in se admittebat, ut in hoc etiam divinæ voluntati obsequeretur; et ita non solum in hoc erat conformitas inter divinam et humanam voluntatem, sed etiam inter inferiorem et superiorem partem ejusdem humanæ voluntatis. Et hinc facile etiam ostenditur ultima pars, et excluditur contrarietas inter voluntates Christi; nam hæc esse non potest ubi in ratione volendi est consensus voluntatum, neque ubi una voluntas nihil vult, nisi quod alia vult ipsam velle. Ac denique quia contrarietas saltem requirit ut quod alteri sub aliqua ratione placet, sub eadem alteri displiceat, vel illud idem, quod una voluntas efficaciter vult, altera absolute nolit, quia, nisi adsit hæc repugnantia, voluntates non se impediunt, neque una alteram excludit, quod est de ratione contrariorum; ostensum autem est non fuisse in Christo actus hoc modo oppositos seu repugnantes. Quæ ratio etiam procedit in actibus ejusdem voluntatis humanæ operantis per modum rationis vel naturæ, quia etiam in illis non fuit vera contrarietas, propter eandem rationem: Christus enim simpliciter amabat mortem, verbi gratia, ut in re ipsa exequendam; fugiebat autem illam, non absolute ut exequendam, sed solum præcise consideratam ut incommodam naturæ, qui actus erat solum inefficax, et minime contrarius priori.

5. *Objectio.* — *Responsio.* — Dices: hi actus, *volo, et nollem*, quamvis non sint simpliciter contrarii, tamen, ut versantur circa idem materiale objectum, sunt aliquo modo repugnantes, et unus potest alium saltem ex parte impedire seu retardare; ergo fuit in Christo sal-

tem aliquis repugnantia actuum seu voluntatum. Respondetur, proprie nullam fuisse; hujusmodi enim actus tunc habent illum modum repugnantiae, quando alter eorum est præter rationem et deliberationem voluntatis; quando vero ipsemet actus inefficax est ab ipsamet voluntate præordinatus et deliberatus, non potest ipsamet voluntatem retardare vel impedire, ex cujus deliberato consensu oritur, ut in simili dictum est supra, q. 15, de actibus appetitus disputando; præsertim quia, cum omnes isti actus essent ex divina ordinatione, ut dictum est, et omnes essent honestissimi, nulla inter eos poterat esse propria contrarietas aut repugnantia.

SECTIO V.

Utrum humana Christi voluntas semper fuerit impleta.

1. Hoc dubium supra huc remisimus, q. 13, art. 4, quoniam ejus resolutio ex iis, quæ hic dicta sunt de actu efficaci et inefficaci voluntatis Christi, pendebat.

2. Dicendum est enim primo, quidquid Christus Dominus sua humana voluntate absolute et efficaciter voluit, effectum esse: atque hoc sensu Christi voluntatem semper fuisse impletam. Est res certa, et colligitur ex supra citatis Conciliis, et Patribus, præsertim ex Augustino, q. 77 Novi Testam.; et Gregor., lib. 19 Moral., c. 14; et constat etiam ex dictis supra de potentia animæ Christi, q. 13; pertinuit enim hæc potestas ad Christi Domini perfectionem; cum enim voluntas humana Christi esset voluntas Dei, debuit semper impleri. Et confirmatur primo, nam illa voluntas in suo efficaci actu semper erat conformis voluntati beneplaciti Dei; ergo, sicut hæc semper impletur, ita et illa. Confirmatur secundo, quia Christi anima præsciebat omnia futura; ergo non poterat efficaciter velle nisi quod sciebat revera futurum esse. Denique Christus nihil, nisi prudentissime et honestissime voluit; ergo tantum efficaciter voluit quod perficere potuit.

3. *Objectio.* — *Responsio.* — Sed dicunt aliqui hoc esse verum in his quæ volebat per se ipsum implenda, non vero in his quæ voluit fieri per alios, quod sentit Cajet. supra, q. 13, a. 4, fundatus in D. Thom. ibi. Sed conclusio posita simpliciter vera est, neque absolute oportet aliquam exceptionem facere, ut rationes factæ probant; nam, licet ultima solum procedat de his quæ per se ipsum erat factur,

aliæ tamen generaliter procedunt. Fuit enim impossibile, vel saltem fuisset imprudens et otiosum velle efficaciter ab alio fieri, quod ipse sciebat efficiendum non fuisse; alias pari ratione posset velle efficaciter aliquos salvari, quos sciebat non esse salvandos, et similia; quomodo autem ille locus D. Thom. et Cajetani exponendus sit, statim dicam.

4. *Aliter humana Christi voluntas, aliter divina semper impleta.* — *Objectio secunda.* — *Responsio.* — Advertenda enim est differentia, quæ in hac efficacia est inter voluntatem humanam et divinam Christi; nam voluntas divina per se et virtute propria potens est ad perficienda omnia quæ absolute vult, sive velit per se, sive per alios illa efficere, quia est omnipotens, et ita propria virtute potest, vel facere quæ per se ipsam vult fieri, vel immutare aliorum voluntates, per quos aliquid fieri decrevit; vel denique uti quibus voluerit instrumentis ad ea perficienda, quæ efficaciter vult. At vero humana voluntas Christi per se non est ita potens; semper autem impletur, vel ex perfecto et prudenti modo volendi, scilicet, quia semper est conformis divinæ voluntati; vel quia participat aliquo modo omnipotentiam Dei, tanquam instrumentum divinitatis. Dices: ergo non magis absoluta voluntas Christi semper impletur quam voluntas beatorum, quæ etiam est conformis divinæ voluntati; et ideo, si aliquid vult efficaciter, infallibiliter fit, quia illud idem vult Deus voluntate beneplaciti; quo modo dixit Ansel., lib. de Simil., c. 52, quemlibet beatum posse transferre montem ab uno loco in alium, si efficaciter velit, et c. 68 dicit posse facere quidquid vult, *quoniam ipsum omnipotentem, inquit, suæ voluntatis concordantem habet.* Respondetur, esse quidem inter Christum et alios beatos quamdam proportionalem æqualitatem, seu similitudinem potius; non tamen est inter eos æqualitas simpliciter. Primo quidem, quia omnis Dei voluntas beneplaciti, soli animæ Christi est semper nota, et ideo simpliciter nunquam nititur contra hanc Dei voluntatem; at vero alii beati non semper agnoscunt quid Deus absolute velit fieri, et ideo interdum, quantum in ipsis est, cupiunt et intendunt aliquid fieri, quod revera Deus non vult voluntate beneplaciti, ut de Angelis beatis colligitur ex Daniel. 10; tum etiam quia voluntas Christi est organum divinitatis ad exequenda opera mirabilia, quod non habet voluntas aliorum beatorum; et ideo multa potest voluntas Christi absolute et effica-